



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. CXIII. Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini, &c. Carm.
gen. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Dominus malorum uota ridet irrita,
Spes ut modestas promouet.

PSAL. C X I I I . Laudate pueri Domi-
num, laudate nomen Domini, &c.

Carm. gen. 25.

PSallite Dominum pueri, Domini
Nomen festo tollite cantu.
Nomen Domini sit benedictum,
Et sæclorum in sæcula longi
Nulla obliuio sentiat æui.
Primo à carcere solis Eoi
Ad purpureos usq; Occasus,
Omnes Domini nomen adorent,
Qui gentes super arduus omnes
Celsas ætheris incolit arces.
Cuius longè gloria mundi
Trans flammantia mœnia uecta est.
O pietatis nescia ueræ
Pectora: ritu sacra nefando
O qui fingitis, anne deorum
Quenquam Domino similem nostro
Nostis? quem super ardua cæli
Culmina positum nil latet imæ
Sub caua clausum uiscera terræ,
Nil humano procul aspectu
Trans multiplices ætheris orbis:
Inopem terræ qui prostratum
Suscitat, & de puluere egenum

Tollit

Tollit, ut alto positus folio
 Populi primos carpat honores.
 Qui maternos sterili fructus
 Exoratus donat, & orbos
 Læta renouat prole penates.

PSAL. CXIII. In exitu Israel de Aegy-
 pto, domus Iacob, &c. Carm. gen. 22.

Qum domus Ifacidûm patrias remearet
 ad oras,
 Barbaraq; inuisæ linqueret arua Phari,
 Ipse Deus Iudam cælesti numine tutum
 Fecit: erat populi signifer ipse sui. *diuidit*
 Vidit & attonitas trepidû mare *diffidit* undas:
 Iordanis refugas in caput egit aquas.
 Læta per intonsos salierunt culmina montes,
 Ut saturas gestit dux gregis inter oues:
 Lætâq; frondentes mouere cacumina colles,
 Agnus ut in pratis luxuriare solet.
 Quid mare uidisti solito cur cesseris aluëo?
 Cur fugis in fontes fluminis unda tuos?
 Cur ita concusso salijstis uertice montes
 Ut satur exultat dux gregis inter oues?
 Cur ita frondenti salijstis uertice colles,
 Agnus ut in pratis luxuriare solet?
 Nempe Dei trepidum præsentia terruit orbem,
 Cui cadit in Solymos uictima multa focos.
 Qui lapidum uenas laticum laxauit in usum,
 Cui fluxit largo flumine dura filex.

P